



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 53. Florentinorum consilia adversus Pisanam Synodum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

## §. LIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.*Florentinorum consilia adversus Pisanam Synodum.*

Florentinos recordatio discriminis, quod vix eluctati erant, in Pisanam Synodum acriter concitabat; unde Patres fabam, quæ in eos cuderetur, brevi animadvertentes, suæque salutis timentes, Galliarum Regem summis precibus urgent, ut trecentorum Lanceariorum suppetias submitteret; annuit Rex, simulque Odeto Fluxo Lautreci Domino nonnisi viginti annorum juveni negotium dedit, ut has copias protinus Pisas adduceret. Ast Florentini Lautrecio ingressum cum suis in urbem denegant, veriti, ne Pisani cives, prout sub Carolo VIII. contigisse meminerant, Gallos ad subigendam civitatem incitarent. Ergo Lautrecio significant, Pisanos Gallorum studiis plus æquo addictos esse, proin Reipublicæ salutem deprecari, ne Galli cum tam valido militum præsidio urbem intrarent, Lautrecus quid amplius a Florentinis obtinere desperans, consensit, ut nonnisi cum centum lanceariis Pisas ingrederetur, qua conditione acceptata civitatem adeundi veniam impetravit.